

Alfonso, Portugallie Regi, ejusque successoribus, facultatem concedit infidelium regna,
principatus, terras, etc., conquirendi, et subjugandi

NICOLAUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI. AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Charissimo in Christo filio Alfonso, Portugalliae et Algarbiorum Regi illustri,
Salutem et Apostolicam Benedictionem¹

Nicolaus
v

Dum diversas, nobis licet immeritis superna
providentia commissi Apostolicae servitutis of-
ficii, curas, quibus quotidie Nos urgentibus an-
gimur, sedula quoque hortatione pulsamur, in
mente revolvimus, illam nobis potissime gerim-
us in præcordiis sollicitudinem, ut Christi no-
minis inimicorum rabies Christi fidelibus in or-
thodoxæ vilipendium fidei semper infesta reprimi,
Christianæque Religioni valeat subjugari, ad
id quoque cum rerum expostulat opportunitas,
nostrum liberum studium impendimus operose,
necon singulos Christi fideles, præcipue cha-
rissimos in Christo filios Reges illustres, Christi
fidem professos, qui pro Æterni Regis gloria
fidem ipsam defendere ac illius inimicos potenti
student brachio expugnare, paterno prosequi
teneamur affectu, singula quoque quæ ad hu-
jusmodi salutiferum opus dictæ videlicet defen-
sionem, augmentationemque Religionis coope-
rari conspicimus, a nostra non immerito debent
provisione procedere, Christi fideles quoque
singulos ut vices suas in adjutorium fidei ex-
agitent, spiritualibus muneribus, et gratiis invi-
tamus.

1. Sane sicut ex pio, christianoque desiderio
tuo procedere conspicimus, tu Christi inimicos,
Sarracenos videlicet, subjugare, ac ad Christi
fidem potenti manu redigere intendis, si ad id
tibi Apostolice Sedis suffragetur auctoritas. Nos
igitur considerantes, quod contra Catholicam
fidem insurgentibus, Christianaque Religionem
extinguere molientibus, ea virtute, et alia con-
stantia a Christi fidelibus est resistendum, ut
fideles ipsi fidei ardore succensi, virtutibusque
pro posse succincti detestandum illorum propo-
situm, non solum obice intentionis contraire im-
pediant, si ex oppositione roboris iniquos cona-
tus prohibeant, et Deo cui militant, ipsis assis-

tente perfidorum substernant molimenta, nos,
que divino amore communiti, Christianorum
charitate invitati, officiique pastoralis astricti de-
bito, ea quæ fidei, pro qua Christus Deus noster
sanguinem effudit, integritatem, augmentumque
respiciunt, nobis fidelium animis vigorem, tuam-
que Regiam Magestatem in hujusmodi sanctissimo
proposito consovere merito cupientes, tibi
Sarracenos, et Paganos, aliasque infideles, et
Christi inimicos quoscunque, et ubicunque con-
stitutos Regna, Ducatus, Comitatus, Principatus,
aliaque Dominia, Terras, Loca, Villas, Castra, et
quæcunque alia possessiones, bona mobilia, et
immobilia in quibuscumque rebus consistentia,
et quocunque nomine censeantur, per eosdem
Sarracenos, Paganos, infideles, et Christi inimi-
cos detenta, et possessa, etiam cujuscunque,
seu quoruncunque Regis, seu Principis, aut
Regum, vel Principum Regna, Ducatus, Comi-
tatus, Principatus, aliaque Dominia, Terræ,
Loca, Villæ, Castra, possessiones, et bona hujus-
modi fuerint, invadendi, conquerendi, expug-
nandi, et subjugandi, illorumque personas in
perpetuam servitutem redigendi, regna quoque,
Ducatus, Comitatus, Principatus, aliaque Domi-
nia, possessiones, et bona hujusmodi, tibi et
successoribus tuis Regibus Portugallie, perpe-
tuo applicandi, et appropriandi, ac in tuos, et
corundem successorum usus, et utilitates con-
vertendi plenam, et liberam, auctoritate Aposto-
lica, tenore presentium concedimus faculta-
tem, candemque Regiam Magestatem tuam ro-
gamus, requirimus, et hortamur attente, qua-
tenus virtutis gladio præcinctus, ac forti animo
præmunitus, pro divini nominis augmento, fidei-
que exaltatione, ac anime tue salute conqui-
renda, Deum præ oculis habens, in hujusmodi
negotio, potentiam virtutis tue extendas, ut fi-

An. Chr.
1452

¹ Lour. Pires de Carvalho, loc. cit., pag. 282; *Bullarum collectio quibus Lusitanie Regibus, etc.*, pag. 10.

Nicolaus des Catholica, per tuam Regiam Magestatem
contra inimicos Christi triumphum se reportasse
censeat, tuque coronam æterne glorie, pro qua
militandum est in terris, quamque promisit Deus
diligentibus se, nostramque, et dictæ Sedis be-
nictionem, et gratiam exinde valeas uberiorius
promererri.

2. Nos enim, ut tu, ac dilecti filii nobiles viri
Duces, Principes, Barones, Milites, aliquique
Christi fideles tuam Regiam serenitatem, in hac
fidei pugna concomitantes, seu imitantes, ac de
bonis suis contribuentes, eo animosius, ferven-
tiorique zelo opus hoc aggrediaris, ac illi aggre-
diantur, seu de bonis suis contribuant, aut mit-
tant, ut præfertur, quo ex hoc tu, ac illi suarum
animarum salutem consequi posse speraveris,
ac illi speraverint, de omnipotenti Dei miseri-
cordia, ac Beatorum Petri et Pauli, Apostolorum
eius, auctoritate confisi, tibi, necnon omnibus,
et singulis utriusque sexus Christi fidelibus
tuam Magestatem in hoc fidei negotio concomi-
tantibus, necnon illis, qui te personaliter comi-
tari non voluerint, sed in subsidium juxta sua-
rum facultatum, vel devotionis exigentiam mi-
serint, seu de bonis eis a Deo collatis rationa-
biliter contribuerint, ut confessor idoneus, quem
tu ad hoc, et eorum quilibet duxeris, seu
duxerint eligendum, plenariam remissionem
omnium, et singulorum peccatorum, criminum,
delictorum, et excessuum, de quibus tu, et illi
corde contriti, et ore confessi fueritis, tibi, ac
eisdem concomitantibus, quoties bellum aliquod
contra præfatos infideles te, et illos iniire conti-
gerit, non concomitantibus vero, sed mittenti-
bus, et contribuentibus, ut præfertur, in since-
ritate fidei, unitate Sanctæ Romanae Ecclesiæ,
ac obedientia, et devotione nostra, et successo-
rum nostrorum Romanorum Pontificum cano-
nico intrantium, persistentibus semel dumtaxat
in mortis articulo concedere valeat, devotionis
tue eadem auctoritate indulgemus. Sic tamen
quod idem confessor de his, de quibus alteri
satisfactio impendenda eam tibi, concomitanti-
bus, mittentibus, et contribuentibus, per te ac
illos, si supervixeris, et illi supervixerint, aut
tuos, vel illorum haeredes, si forte tunc trans-
ieris, seu illi transierint, faciendam injungat,
quam tu, et illi, ac haeredes præfati facere te-
neantini, ut præfertur.

3. Et nihilominus si te, seu aliquos ex con- An. Chr.
comitantibus præfatis contra Sarracenos, et alios
infideles hujusmodi, eundo, stando, vel redeun- 1452
do, ab hoc sæculo migrare contigerit, te, ac eos-
dem concomitantes in sinceritate, et unitate præ-
dictis persistentes, puræ innocentiae, qua, ba-
ptismate suscepto, extisti, et illi extiterint,
restituimus per præsentes.

4. Volumus autem quod omnia, et singula,
qua Christi fideles ipsi te non concomitantes in
subsidium tuum pro hujusmodi fidei negotio
peragendo contribuerint, per Prælatos singulo-
rum locorum in quibus contributiones hujus-
modi pro tempore constitutaे fuerint, levantur,
et simul reponantur, tibique per securos nun-
tios, seu litteras cambiorum, sine quacumque
diminutione, expensis, et salariis, rationalibus
in his laborantibus dumtaxat reservatis, et sub
authentico computo transmittantur, quodque si
Prælati ipsi, seu quicunque alii de summis in
subsidium hujusmodi mittendis, quidquam præ-
ter expensas, et salario hujusmodi substraxerint,
alienaverint, seu in suos usus usurpaverint, seu
fraudulenter, vel dolose subtrahi, alienari, seu
usurpari permiserint, vel consenserint, ex com-
municationis, a qua præterquam per Romanum
Pontificum, seu in mortis articulo constituti, ab-
solvi nequeant, sententiam incurvant eo ipso.

5. Carterum cum difficile foret præsentes lit-
teras ad singula, in quibus de eis fides forsitan
facienda fuerit, loca deferre, volumus, et dicta
auctoritate decernimus, quod illarum transum-
ptus, manu publici Notarii subscriptas, et sigillo
alicujus Episcopalis, aut Superioris Curie mu-
nitis, perinde plenaria fides adhibeatur, ac si
originales litteræ hujusmodi exhibitaे forent, vel
ostense.

6. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc
paginam nostræ concessionis, restitutionis, vo-
luntatis, indulti, et decreti infringere, vel ei
ausu temerario contraire. Si quis autem hoc at-
tentare præsumpsit, indignationem Omnipot-
tentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Aposto-
lorum se noverit incursum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno
Incarnationis Dominice millesimo quadrigen-
tesimo quinquagesimo secundo, quartodecimo
kalendas Julii, Pontificatus nostri anno sexto
(18 de junho de 1452).